

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Ioánnem

11, 1-45

In illo témpore:

- ¹ **E**rat quidam languens Lázarus a Bethánia,
de castélllo Maríæ et Marthæ soróris eius.
- ² María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto
et extérsit pedes eius capíllis suis,
cuius frater Lázarus infirmabátur.
- ³ Misérunt ergo soróres ad eum dicéntes:
«Dómine, ecce, quem amas, infirmátur».
- ⁴ Audiens autem Iesus dixit:
«Infírmitas hæc non est ad mortem
sed pro glória Dei,
ut glorificétur Fílius Dei per eam».
- ⁵ Diligébat autem Iesus
Martham et sorórem eius et Lázarum.
- ⁶ Ut ergo audívit quia infirmabátur,
tunc quidem mansit
in loco, in quo erat, duóbus diébus;
- ⁷ deínde post hoc dicit discípulis:
«Eámus in Iudæam íterum».
- ⁸ Dicunt ei discípuli:
«Rabbi, nunc quærébant te Iudæi lapidáre,
et íterum vadis illuc?».
- ⁹ Respóndit Iesus:
«Nonne duódecim horæ sunt diéi?
Si quis ambuláverit in die, non offéndit,
quia lucem huius mundi videt;
- ¹⁰ si quis autem ambuláverit in nocte, offéndit,
quia lux non est in eo».

- ¹¹ Hæc ait et post hoc dicit eis:
«Lázarus amícus noster dormit,
sed vado, ut a somno exsúscitem eum».
- ¹² Dixérunt ergo ei discípuli:
«Dómine, si dormit, salvus erit».
- ¹³ Díxerat autem Iesus de morte eius,
illi autem putavérunt
quia de dormitióne somni díceret.
- ¹⁴ Tunc ergo dixit eis Iesus maniféste:
«Lázarus mórtuus est,
¹⁵ et gáudeo propter vos, ut credátis,
quóniam non eram ibi;
sed eámus ad eum».
- ¹⁶ Dixit ergo Thomas, qui díctur Dídymus,
ad condiscípulos:
«Eámus et nos, ut moriámur cum eo!».
- ¹⁷ Venit ítaque Iesus et invénit eum
quáttuor dies iam in monuménto habéntem.
- ¹⁸ Erat autem Bethánia iuxta Hierosólymam
quasi stádiis quíndecim.
- ¹⁹ Multi autem ex Iudáeis
vénerant ad Martham et Maríam,
ut consolaréntur eas de fratre.
- ²⁰ Martha ergo ut audívit quia Iesus venit,
occúrit illi;
María autem domi sedébat.
- ²¹ Dixit ergo Martha ad Iesum:
«Dómine, si fuísses hic,
frater meus non esset mórtuus!
- ²² Sed et nunc scio
quia, quæcúmque popósceris a Deo,
dabit tibi Deus».
- ²³ Dicit illi Iesus:
«Resúrget frater tuus».
- ²⁴ Dicit ei Martha:

«Scio quia resúrget in resurrectione
in novíssimo die».

²⁵ Dixit ei Iesus:

«Ego sum resurréctio et vita.

Qui credit in me,
etsi mórtuus fúerit, vivet;

²⁶ et omnis, qui vivit et credit in me,
non moriétur in ætérnum.

Credis hoc?».

²⁷ Ait illi:

«Utique, Dómine;

ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei,
qui in mundum venísti».

²⁸ Et cum hæc dixísset,

ábiit et vocávit Mariám sorórem suam siléntio dicens:

«Magíster adest et vocat te».

²⁹ Illa autem ut audívit, surréxit cito et venit ad eum;

³⁰ nondum enim vénerat Iesus in castéllum,
sed erat adhuc in illo loco, ubi occúrrerat ei Martha.

³¹ Iudæi ígitur, qui erant cum ea in domo

et consolabántur eam,

cum vidíssent Mariám quia cito surréxit et éxiit,
secúti sunt eam putántes:

«Vadit ad monuméntum,
ut ploret ibi».

³² María ergo, cum venísset, ubi erat Iesus,

videns eum cécidit ad pedes eius dicens ei:

«Dómine, si fuísses hic,
non esset mórtuus frater meus!».

³³ Iesus ergo, ut vidit eam plorántem

et Iudæos, qui vénerant cum ea, plorántes,
frémuit spírítu et turbávit seípsum

³⁴ et dixit:

«Ubi posuístis eum?».

Dicunt ei:

«Dómine, veni et vide».

³⁵ Lacrimátus est Iesus.

³⁶ Dicébant ergo Iudæi:

«Ecce quómo modo amábat eum!».

³⁷ Quidam autem dixérunt ex ipsis:

«Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci, fácere, ut et hic non morerétur?».

³⁸ Iesus ergo rursus fremens in semetípso,

venit ad monuméntum;

erat autem spelúnca,

et lapis superpósitus erat ei.

³⁹ Ait Iesus:

«Tóllite lápidem!».

Dicit ei Martha, soror eius, qui mórtuus fúerat:

«Dómine, iam fetet;
quatríduánus enim est!».

⁴⁰ Dicit ei Iesus:

«Nonne dixi tibi quóniam
si credíderis, vidébis glóriam Dei?».

⁴¹ Tulérunt ergo lápidem.

Iesus autem, elevátis sursum óculis, dixit:

«Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me.

⁴² Ego autem sciébam quia semper me audis,

sed propter pópulum, qui circúmstat dixi,
ut credant quia tu me misísti».

⁴³ Et hæc cum dixísset, voce magna clamávit:

«Lázare, veni foras!».

⁴⁴ Pródiit, qui fúerat mórtuus,

ligátus pedes et manus ínstitis;

et fácies illíus sudário erat ligáta.

Dicit Iesus eis:

«Sólvite eum et sínite eum abíre».

⁴⁵ Multi ergo ex Iudæis,

qui vénerant ad Mariám et víderant, quæ fecit,

credidérunt in eum. — Verbum Dómini.